DE HIERARCHIÆ ECCLESIASTICÆ EXISTENTIA ET ORIGINE

THESES

QUAS SUB AUSPICIIS
REVERENDISSIMI

CAPITULI

ECCLESIÆ CATHEDRALIS VICETINÆ
PUBBLICE PROPUGNANDAS EXPONIT

JOSEPH BURATTO

SEMINARII VICETINI ALUMNUS

PRÆCEPTORE ET ADJUTORE

PROSDOCIMO PICCOLI

IN EODEM SEMINARIO
JURIS UTRIUSQUE LECTORE

FACTA CUIQUE POST TERTIUM ARGUENDI COPIA MORE ACADEMICO

VICETIÆ
1817.

Ex sacerdotio, et regno rerum administratio conflata est .... Illud velut anima est, hoc velut corpus.

Isidorus Pelusiota lib. 3. ep. 249.

THESES

De Hierarchiæ Ecclesiasticæ Existentia, et origine.

Th. I.

Novatores, et Lutherani in primis, ut excusarent defectionem suam a fide Orthodoxa, et simul defenderent Ecclesiam illam, quam ipsi sibi mente effinxerunt, omne Christi regnum, omnem Ecclesiæ Catholicæ potestatem, Hierarchiam uno verbo confundere, et de medio tollere jam tum a sæculo decimo sexto ausu nefario conati sunt.

Th. II.

At id non minus imperite, quam impie. Etenim de hoc regno Christi tam luculenter loquuntur sacræ litteræ, ut incredibile videatur, esse homines adeo impudentes, et pervicaces, qui id audeant negare.

Th. III.

Sane Verbum carnem assumpsisse, ut genus humanum redimeret, sibique Ecclesiam collegisse sanguine suo adversarii ipsi nostri nobiscum fatentur.

Th. IV.

Certum præterea est, Christum ad eamdem ipsam Ecclesiam colligendam Apostolorum, et discipulorum opera usum fuisse.

Th. V.

Hisce autem modo singulatim, modo generatim dictum est: *Pasce oves meas:* (Joan. 21.). *Sicut misit me pater, ita ego mitto vos* (Joan. 20.). *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit* (Lucæ 10.). Populo Hebræorum præceptum est: *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis* (ad Hebræ. 13). Timotheo facta est potestas præcipiendi hoc modo: *Præcipe hæc, et doce.* (1. ad Corinth. 4.). Tito autem datum jus imperandi hisce verbis; *hæc loquere, et exhortare, et argue cum omni imperio* (ad Tit. 2.). Alia his similia unicuique sacras litteras legenti passim occurrunt.

Th. VI.

Atqui illa verba *audiendi*, *et obediendi* innuunt nonnullos in Ecclesia sub ditione esse positos; hæc autem *pascendi*, *præcipiendi*, *arguendi cum omni imperio* nonnullos imperandi jure donatos ostendunt; quod omnes, et singuli interpretes agnoscunt.

Th. VII.

Quare Christus constituens Ecclesiam eam, in qua præsunt nonnulli, subsunt cœteri, veri nominis regimen instituit.

Th. VIII.

Cum vero ea verba, quæ th. 5. referuntur, Apostolis, et discipulis et singulatim, et generatim dicta sint, non autem omnibus quotquot Ecclesiastica communione continentur, statuere debemus, et pro certo habere non solum Christum regnum constituisse, sed etiam potestatem in regno suo certis, et designatis personis, minime vero omni multitudini, omnique Ecclesiæ *collective* tradidisse.

Th. IX.

Hisce statutis falsum esse evincitur,

quod commenti sunt nonnulli, nimirum unam tantum potestatem a Deo traditam, quæ tota in regum, et principum imperio contineatur.

Th. X.

Sane Christus et constituit (th. 7.) regnum suum, et regum, et principum potestatem sanxit iis verbis: *Reddite .... quæ sunt Cæsaris Cæsari ...* (Math. 22.).

Th. XI.

Cumque fieri nullo modo possit, ut is, qui imperat, in sua eadem ditione etiam pareat, sequitur, regnum a Christo constitutum a regno principum omnino discrepare.

Th. XII.

Ergo duo sunt regna, quibus gubernamur, quidquid Pufendorfius, Boehmerus, Hugo Grotius philosophati sint.

Th. XIII.

Itaque si (th. 7.) Christus sibi regnum constituit, si populus (th. 8.), qui nomine *laicorum* venit, imperii expers est, si (th. 10.) sua principibus potestas salva est, dubitare non possumus,

ad eos dumtaxat, quibus facta sunt verba in th. 5. relata, omne omnino regnum Christi pertinere.

Th. XIV.

At quodnam tandem est regnum, quod sibi constituit Christus in Ecclesia sua? Spirituale est. Ipse enim ait: *Regnum meum non est de hoc mundo.* (Joan. 18.).

Th. XV.

Omnis ergo potestas spiritualis jure divino penes eos est (th. 15.), qui a Christo missi sunt.

Th. XVI.

Quicumque igitur hac potestate caret, in iis, quæ ad regimen spirituale pertinent, se immiscere haudquaquam potest.

Th. XVII.

Atque ne suus quoque ordo in hoc regimine deesset, neve pro lubitu quisque sibi potestatem in Ecclesia arrogaret, præceptum est iis ipsis, quibus regnum suum (th. 15.) commisit Christus, ut ad opus ministerii eos assumerent, quos vocat Spiritus Sanctus, juxta illud: (Act. 13.) *Segregate mihi Saulum, et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.*

Th. XVIII.

Hinc tamquam a vero alienum rejicimus, quod Lutherani, et Calvinistæ contendunt, Populum nempe jure divino posse in Ecclesia ministros eligere.

Th. XIX.

Imo vero, ut rite fieret ministrorum designatio, et transfusio potestatis Ecclesiæ regendæ, sancita fuit etiam spectabilis ea cœremonia manus imponendi, qua usi sunt passim Apostoli, quaque postmodo semper usa est Ecclesia. Actus, et epistolæ Apostolorum de hac re plenam fidem faciunt.

Th. XX.

Hac cœremonia præterquamquod solemnis ritus inaugurandi ministros, potestatemque spiritualem conferendi continetur, gratia etiam, quod ad finem potestatis spiritualis obtinendum par erat, communicatur. Ait enim Apostolus (1. ad Timoth. 4.). *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi cum impositione manuum presbyterii*, et (2. ad eundem 1.). *Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ in te est per impositionem manuum mearum.*

Th. XXI.

Hunc igitur ritum ad designationem ministrorum in Ecclesia institutum, quo potestas, et gratia datur, quique ordinatio appellatur, merito unum esse ex septem Ecclesiæ Catholicæ Sacramentis et credimus, et defendimus juxta Conc. Trid. ses. 23. can. 3.

Th. XXII.

Hac statuta in regno Christi eligendorum, et mittendorum ministrorum ratione, contra hæreticos jure propugnamus: Neminem, qui hac ordinatione non sit inauguratus, posse in Ecclesia Christi Sacramenta (si baptismum excipias, et fortasse etiam matrimonium) administrare.

Th. XXIII.

Quæ cum ita sint manifestissime constat, Christum legislatorem hic regimen spirituale vere constituisse, et ejus summam (servato graduum ordine juxta Conc. Trid. ses. 23. can. 6.) iis revera tradidisse, quibus dictum est: *Tibi dabo claves regni cœlorum. Pascite, qui in vobis est, gregem. Attendite vobis, et*

universo gregi, in quo vos posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Ite in universum mundum, prædicate Evangelium.... Docete omnes gentes, baptizantes eos.... Hoc facite in meam commemorationem, etc. etc. Quare quod initio proposuimus, ex Scripturis apertissime colligitur, sacrum Principatum in Ecclesia existere, quem Hierarchiam Ecclesiasticam solemni verbo nuncupamus.